



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Dif. III. An saltem sit in Christo tertia natura?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

stus est quid unum; nec tamen simplex; cum sint in eo, persona una, & duæ naturæ; ergo.

RESPONDETUR. Christum esse quid simplex, ratione personæ, & ipsius præcisè hypostasis; licet sit compositus ratione totius hypostatici.

INSTAT 2. Ubi plura realiter distincta interveniunt, ita, ut ex illis exurgat unum, ibi necessariò admittenda est compositio; atqui considerando in Christo naturam humanam, & personam Verbi, rectè dicimus esse plura & unum, unumque exinde exurgere, Christum; ergo.

RESPONDETUR. Etiam hoc argumentum procedere de compositione totius hypostatici, non autem de ipsa hypostasi.

INSTAT 3. Compositum illud, non potest dici, quòd sit una natura; ergo poterit dici una composita persona.

RESPONDETUR. Sicut vetat fides dicere, quòd sit in Christo una natura; ita vetat deductio Theologica dicere, quòd sit composita persona in se, in linea personæ. Erit ergo unum, tertio sensu; hoc est unum totum hypostaticum, compositum ex simplici, ut ante, persona divina, & duabus naturis.

OBJICIT 7. Compositio non aliud est, quàm unio plurium ad constituendum idem aliquid; sed de fide est, humanitatem, quæ est distincta à Verbo, uniri subsistentiæ Verbi, ad constituendam unam personam, quæ est Christus; ergo in Christo est vera compositio, ex subsistentia Verbi & humanitate.

RESPONDETUR. Concedendo totum, sed inde non sequitur, quod persona Christi in se ipsa sit composita.

INSTAT idem. Terminus hujus unionis non potest esse simplex; ergo est compositus. Antecedens probatur. Tum quia terminus ille in tempore resultat. Tum quia terminus resultans est conflatus ex multis, nempe ex subsistentia & humanitate, ergo terminus resultans non est simplex, sed compositus.

RESPONDETUR. Concedendo totum: nam terminus resultans, est totum hypostaticum, quòd certè est compositum; nec terminus resultans est persona divina, quæ ab æterno generatione resultavit, & eadem, in tempore, totum hypostaticum ingressa est; unde terminus, secundum superius dicta, dupliciter spectatur; & pro termino, quod est totum ex naturis duabus, & persona Verbi, constitutum; & hic terminus est quid compositum. Deinde potest sumi terminus, pro dante rationem per se stantis ultimo, & hoc est persona; quæ non probatur, esse, in se quid compositum.

QUÆRES, quid sit sentiendum de principio, quod ponit in hac materia Arriaga disp. 28. n. 3. Personam scilicet Christi in duplici statu posse considerari. Primus est quem habuit ab æterno: in hoc statu est omnino simplex realiter.

Deinde, possumus considerare personam Verbi, componentem cum natura humana Christum: & sic dicitur illa persona composita; illud enim unum substantiale non est natura: ergo una persona. Addit, licet Verbum non habeat subsistentiam absolutam à natura humana, vel per illam: habet tamen, quòd in esse hominis subsistat, adeoque quòd sit homo. Addit denique, rationem personæ non variari per hoc, quòd subsistat in hac vel illa natura; sed solum quòd subsistat ex hac, vel illa, personalitate. Ideoque Deus est tres personæ, quia subsistit, in tribus personalitatibus; Christus autem est una persona, quia subsistit in una personalitate, subsistente in duabus naturis. Sed. Concedo duplici illo modo posse considerari personam Verbi; nego tamen, quòd, ex humanitate, & persona Verbi, constituatur ipsa persona Verbi composita, sed totum hypostaticum, quod est compositum; licet habeat ab humanitate, quòd in esse hominis subsistat, & quòd sit homo, in quantum ly Homo supponit etiam pro humanitate: non autem in quantum supponit pro persona; quia rationem personæ, homo Christus, habet à Verbo. Et sicut non variatur persona per hoc, quòd subsistat, in hac vel illa natura; ita nec evadet composita, ex eo, quòd uniatur naturæ humanæ. Quòd autem ratio personæ non sequatur rationem naturæ, pro nobis servit.

DIFFICULTAS III.

An saltem sit in Christo tertia natura?

EX recentioribus tractant hanc questionem, Albertinus, Coroll. 3. Theolog. de prædicamento substantiæ. Tannerus disp. 1. q. 3. n. 37. Lugo, d. 3. a Sect. 2. Arriaga d. 19. Sensus tituli est: Ex anima rationali, & ex corpore, evadit tertia natura, quæ est homo: estne quid simile in Christo?

Punctum Difficultatis 1.

Ostenditur non esse in Christo tertiam naturam.

DICENDUM est. Non esse tertiam naturam in Christo.

PROBATUR 1. Autoritate Damasceni Serm. adversus Acephalos. *Neque una, inquit, composita natura inde conflata, sed duæ veræ sunt, perpetuoque manebunt naturæ.* S. Maximus apud Euthimium in Panoplia. titulo 15. *Naturam unam compositam, Christum dicere, omnino recusamus.*

RESPONDEBIS. Hæc dicta Patrum accipi debere, quòd non sit una Christi natura, qualem posuit Eutiches, resultans scilicet ex commixtione, vel permutatione earundem.

CON-

CONTRA. Quia, quamvis primum intantum fuerit Patrum, damnare errorem Eutichetis, primum tamen erat advertere, quod saltem ex illis non commixtis, nec mutatis, tertia pulcherrime natura; & tamen universaliter enuntiant, non esse illic tertiam naturam. Hinc allata responsio non vult dicta Patrum simpliciter; & ut sonant, accipere.

PROBAT 2. Lugo cum communi. Natura humana, & divina, singulae sunt perfectae & completae, in ratione naturae: ergo ex utraque non potest resultare una natura composita; quae sit vere & proprie una; haec enim non potest resultare, nisi ex entibus incompletis & imperfectis, ordinatis ad se.

RESPONDERI potest ex Arriaga, rejiciente hanc rationem, tanquam insufficientem. Quia, si ratio entis completi non impedit, quominus duae illae naturae uniantur unione per se; & faciant unum per se; non capio, inquit, quominus possit impedire, ne faciant unam tertiam naturam per se; quandoquidem uniri per se, & facere unum per se, est omnino idem apud omnes, rejici ergo id potius in id debet, quia duae illae naturae non uniantur immediate inter se, sicut nec duae animae, aut duo Angeli.

CONTRA. Tum quia possibilis est unio immediata naturae divinae & humanae, ut dictum supra, eaque accidentalis; de qua tamen verum sit dicere: est immediata unio; & tamen eo casu, non esset communicatio idiomatum inter illas naturas, multoque magis non resultabit aliqua tertia natura; ergo praecise ex sola immediate unionis, non debet argui tertia natura. Tum quia non ponit Lugo illas naturas uniri per se. Tum quia melius redditur ratio, cur non fiat tertia natura, ex humana & divina, quando redditur ultimator ratio; sed a Lugone redditur ultimator ratio: quia si quaeratur; Cur ex natura humana & divina, non fiat tertia natura? respondebitur per Arriaga, quia inter illas non est unio immediata: quaerere restat, cur inter illas non sit, nec potuerit esse unio immediata, ut supponitur, substantialis? respondere est, quia sunt, in ratione naturae, completae & perfectae. En Lugonis rationem ultimam.

CONFIRMATUR ex Lugo. Quae sunt duo simpliciter, non sunt unum simpliciter, sed vel duo, vel unum secundum quid; cum ergo illae duae naturae sint totales & completae, non possunt esse una natura simpliciter; sed duae simpliciter, una vero improprie. Ratio autem est, quia ex duobus entibus completis, non fit unum ens simpliciter, sed solum ex duobus incompletis, vel ex uno incompleto, & altero completo; ut cum ex personalitate Verbi, & humanitate Christi, quae in ratione subsistentis incompleta est, fit unum per se; jam autem ex duabus animabus v. g. non potest fieri una anima.

RESPONDET Arriaga praeter superius allata. Hoc ipsum, quia non possunt illae animae v. g.

esse simpliciter unum, referri in id debet, quia non possunt habere unionem per se. Deinde, quae sunt duo simpliciter in aliquo determinato genere, possunt in alio esse unum simpliciter; ergo licet in ratione naturae talis, scilicet pure humanae, & pure divinae, sint duae naturae, humanitas & divinitas; non propterea impediuntur, quominus in ratione alterius naturae, ut sic dicam, majoris, possint esse unum; ut duae guttae aquae separatae, sunt duae absolute & simpliciter, & tamen si uniantur, faciunt unam aquam, majorem qualibet seorsum.

CONTRA. Tum quia, quamvis quae sunt duo simpliciter, possint esse in alio genere unum simpliciter; tamen in eo, in quo erunt unum simpliciter, debebunt jam non esse completae & perfectae; ergo stabit, in omni eventu, quae sunt duo simpliciter, non posse esse unum simpliciter. Antecedens probatur. Quia, si quae sunt duo simpliciter, dum sunt unum simpliciter, in illo genere essent duo simpliciter; & essent duo simpliciter, ut supponitur, & non essent; quia duo, dum duo sunt, unum non sunt. Tum quia, quod attinet ad instantiam de aqua, etiam illae duae guttae, dum sunt unitae, desinunt esse duae simpliciter; cum tamen non appareat (ex iis, quae probantur contra Eutichetem) quomodo desinere possint naturae, ne sint duae simpliciter? Deinde, quod est esse duas aquas absolute & simpliciter, hoc solum significat, quod habeat unaquaeque suos terminos: sed non significat, unamquamque non esse complebilem, ut ita dicam, in ratione identitatis terminorum; continua enim sunt, quorum termini iidem; & si hanc, ut ita dicam, complebilitatem non haberent, ex duabus guttis, non resuleret una major aqua, non apparet autem, quam similem incompletionem habere possit natura divina, & humana? Tum quia non ideo, a priori, aliqua sunt duo simpliciter, quia non possunt habere unionem immediatam; sed ideo non possunt habere unionem immediatam, quia sunt duo simpliciter; negatio enim unionis immediatae, supponit illam dualitatem, non ponit; ergo melius respondetur ad quaestionem: Cur ex illis non fiat tertia natura? quia sunt duo simpliciter; per aliquid enim ultimatius.

PROBATUR 3. Conclusio. Quia, ex natura humana & divina, in Christo, fieri tertiam naturam, vel accipitur hoc sensu, quod ex illis resultet unum collectum; & sic in re, verum erit, resultare aliquid tertium; non tamen dici debet, tertia natura. Quod in re resultabit aliquid tertium, ratio est: quia resultabit totum, seu collectum, duas illas naturas complectens. Quod ipsum probatur. Quia ex duobus lapidibus resultat totum, quod est par lapidum: ex unitatibus plurificatis, unus numerus; & cum unicuique naturae insit suus numerus, hoc ipso etiam ex illis naturis resultabit. Quae omnia in hoc resolvuntur, quia totum resultare ex duobus, est re-

sultare collectum, plura in se habens, quam sit unumquodque singillatim; hoc autem in omni collectione fit: quia & esset collectio, ut supponitur, & non esset, nihil enim colligeret. Quod autem illud collectum seu totum, non sit appellandum tertia natura, referri debet & in auctoritates Patrum, & in rationes præjactas. Rursus naturam humanam & divinam, fieri tertiam naturam, accipi potest hoc sensu; quod ex illis duabus naturis, fiat aliquid tertium, perfectum, & unum, indistinctum ab illis, in re, simul sumptis, quod tamen non sit illa singula, & sit singulis perfectius, evadatque completum. Sic, ex anima rationali, corpore, & unione, resultat homo, qui jam est quid completum & perfectum; qui homo indistinguitur re, ab illis tribus simul sumptis; non tamen est homo anima, nec homo corpus; esseque hominem, est quid perfectius singulis, & dicitur rationem completi. Eo sensu, non evadit in Christo, ex natura divina & humana, aliquid tertium. Quia hujus sensus Tertium, est completum evadens: sed ex illis duabus naturis non potest evadere completum; quia completum non evadit, quod in ante supponitur completum: natura autem humana in ante, supponitur esse completa. Major probatur, evaderet enim hoc quod habet, & inciperet esse quod in ante fuit, quomodo autem incipiet, si fuit? ergo, si modo evadit completum, apparet, quod in ante non fuerit completum. Quod autem natura humana in ante jam supponatur completa, ratio est: quia physice natura humana dicitur corpus, animam, unionem; hæc autem præsupponitur habere, non ex vi unionis cum natura divina, metaphysice verò natura humana, est animal rationale: ex quibus prædicatis, unumquodque non esset, si physica illa non essent, ex quibus simul sumptis, unumquodque illarum sumitur.

Punctum Difficultatis 2.

Perstringuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Autoritas Cyrilli citata, in qua dicitur unam fuisse naturam Verbi incarnatam, & Athanasii: *Nam sicut, inquit, anima rationalis & caro, unus est homo, ita Deus & homo, unus est Christus.*

RESPONDETUR. Quod attinet ad auctoritatem Cyrilli, illi alias satisfactum. Autoritas Athanasii, non vult in omnibus similitudinem; sed non nisi in hoc: quod sicut est illic unum compositum, ita in Christo est una Persona.

INSTABIS. Auctoritatem ipsam in argumentum à priori aptando. Ex anima rationali & corpore, illorumque unione, evadit tertium quid, nempe homo; Ergo & ex unione naturæ divinæ & naturæ humanæ, evadit tertia natura.

RESPONDETUR. Disparitatem esse ex di-

etis, quia cum anima rationalis & corpus sint substantiæ incompletæ, ordinatæ ad hoc, ut constituent hominem, non mirum est, quod acquirant ex illa unione completionem, ita ut jam evadat homo; talis autem incompletio, nec naturæ humanæ, nec naturæ divinæ competit.

OBJICITUR 2. Ex eo solum, ex natura humana & divina, non evadit tertia, quia sunt completæ; sed id non obest, quominus ex illis evadat tertia natura. Quod probatur. Quia elementa sunt quid completum, & tamen ex illis evadit tertia natura misti.

RESPONDET 1. Arriaga. In hac sententia elementa facere unam tertiam naturam, quia uniuntur immediate inter se in ipsa natura, non in personalitate aut subsistentia; in nostro verò casu, unionem solum esse in personalitate, non in natura. Addit, in hac sententia, elementa quidem esse in misto, non tamen per illa constitui tertiam naturam, sed per aliam tertiam formam substantialem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia, quamvis elementa sunt quid completum, uniuntur immediate inter se, idque unione in natura, ita ut resultet tertia natura; ergo & in præsentia resultabit tertia natura. Tum quia, etiam posito, quod sit facta unio in personalitate, querere restabit: quæ sit ratio, cur non potuerit fieri unio in natura, humanæ & divinæ naturæ, ita ut evadat ex illis tertia natura? cum unio elementorum in natura, fieri possit. Tum quia in misto, non per elementa constituitur tertia natura, sed per formam superadditam tertiam; ergo etiam in Christo constituetur tertia natura, non per illas duas, sed per Christicitatem; ut in simili ille loquitur.

RESPONDET 2. Lugo. In hac sententia, naturæ elementorum non sunt omnino completæ, sed aliquo modo incompletæ, cum se extendant ad ulterius complementum, licet possint connaturaliter existere seorsim, sicut una pars aquæ, licet seorsim possit existere, adhuc est complebilis per aliam partem aquæ. *Hæc responsio plenè*

NON SATISFACIT. Quia si habent jus existendi seorsim, non apparet jam, quomodo non sint completum quid, in omni sententia? Illud quod assertur de aqua, non convincit, quia guttarum unaquæque est completa, cum illarum completio sit habere proprios terminos, licet non sit completa, quasi non possit continuari, ut fit, dum unitur alteri guttæ, non apparet autem, quid simile conveniat, vel elementis, vel duabus naturis in Christo?

RESPONDETUR 3. Falsum quidem est, elementa esse formaliter in misto, sed posito quod essent, posset assignari disparitas ex S. Thoma hic q. 2. a. 1. in corp. Quod fieri possit unum tertium, etiam ex completis & perfectis, modo transmutentur: & ita ex elementis fit mixtum;

xtum, & quia natura divina & humana, non potest subire mitionem, ideo nec ex illis evadit aliqua tertia natura. Quod autem natura divina non possit subire mitionem, rationem dat ibidem S. Thomas: Primò. Quia natura divina est omnino immutabilis, ergo in aliud converti non potest, cum sit incorruptibilis: nec aliud in ipsam, cum sit immutabilis. 2dò. quia id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie; differt enim caro à qualibet elementorum specie; & sic Christus non esset ejusdem naturæ cum Patre, nec cum Matre. 3idò. Quia in his, quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio; solvitur enim species unius illorum: puta, si quis guttam aquæ amphoræ vini apponat; & secundum hoc, cum natura divina in infinitum excedat naturam humanam, non potest esse mistio, sed manebit sola natura divina.

OBJICITUR 3. Natura est principium motus & quietis, in eo, in quo est; sed ex natura humana & divina, resultat istud principium: Ergo resultat tertia natura. Minor probatur. Quia resultavit, ex illa unione, principium operationum & habituum supernaturalium: nam Christo debentur eæ operationes.

RESPONDETUR. Negando minorem; negando item, quod resultavit principium operationum elicativum, distinctum ab anima, licet operante prout est elevata; ipsam illam elevationem deposcente, non tertiâ naturâ, sed composito, ex humana natura, & personâ Verbi.

INSTABIS. Saltem mediâ uniuntur inter se, natura divina & humana: Ergo afferunt tertiâ naturam, saltem mediâ.

RESPONDETUR. Ob defectum complebilis & completivi, illa unio mediata non facit, etiam mediâ, tertiâ naturam.

Punctum Difficultatis 3.

Quo sensu possit admitti aliquid tertiū.

DICENDUM 1. Ex hoc, quod est, natura humana esse unitam Personam divinam, resultat aliquid tertiū.

PROBATUR imprimis autoritatibus illorum Patrum, qui assumebant, personam Christi esse compositam; non in se, ut supra probatum: sed ratione totius, resultantis ex natura humana & persona VERBI.

PROBATUR 2. Quia Christus non est natura humana, nec etiam persona VERBI, sed utrumque simul sumptum: Ergo ex utroque hoc resultat aliquid tertiū: nempe objectiva ratio: ly Christus; quæ est nemine cogitante, licet ab illis simul sumptis non distinguatur nemine cogitante: ut etiam doceri solet de toto.

PROBATUR 3. Impossibile est, ex duobus entibus per se immediatè unitis, quorum unum habet se per modum complebilis, & aliud per

modum completivi, non resultare tertiū; sed natura humana, & persona Verbi, ex dictis ita se habent. Major probatur inductione. Ex pariete & albedine resultat album: ex anima & corpore, resultat homo: ex materia ignis & forma ignis, resultat ignis: & sic de reliquis. Nec potest ostendi exemplum, in quo, ex duobus facientibus unum per se, & quidem immediatè, non fiat tertiū. Quod ipsum in hoc fundatur. Quia ex duobus talibus, necessariò resultat compositum, adeoque illud tertiū; aliàs: aliàs unirentur, ut supponitur; & non unirentur: quia non resultat unitum, seu compositum. Rursus, vel eodem modo se habent illa, vel non eodem, quo habebant ante compositionem, seu unionem? si eodem modo: Ergo nullus esset iste ordo complebilis & completivi; cum etiam posita unione, eodem modo se habeant. Si autem non eodem modo se habent: quicunque hic modus alietatis ostendatur, ex eodem inferetur, resultare aliquid tertiū, quod sit nemine cogitante; licet non sit distinctum nemine cogitante.

DICENDUM 2. Hoc tertiū, resultans ex natura humana & Persona Verbi unitis, est totum hypostaticum, quod dicitur Christus.

PROBATUR 1. autoritate, S. Fulgent. lib. de Incarnatione & gratia Christi, cap. 10. ait: *Illud vero quis facile Christianus aut ignoret, aut dubitet, quod VERBUM Dei, priusquam caro fieret, non fuit Christus.* Infero: Ergo Incarnatione evasit hoc, quod est Christus. Subdit infra. *Neg, enim caro Christi, priusquam à VERBO susciperetur, eadem caro, Christus fuit.* Ubi indubiè nomine carnis intelligit naturam humanam; ut eum dicitur: VERBUM caro factum est: ex quo jam arguitur. Natura humana, priusquam à VERBO susciperetur, non erat Christus, ut ait Fulgentius: Ergo compositione evasit Christus; idq; aliquid tertiū: quia neq; natura humana, neque persona Christi separatim, est Christus. S. August. lib. de bono perseverantiæ, c. 24. post medium: *Dicimus Christum verum Deum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eundemq; hominem verum, natum de homine Matre &c. hoc autem utrumq; est unus Christus:* ubi ly Christus, dicit pullulare ex hoc utroque: & hoc tertiū esse, dicit conclusio. Damascenus similia habet, lib. 3. orthodoxæ fidei, c. 7. *Quia etiam hoc nomine, tum à Patre & Spiritu, tum à Matre & nobis discrepat: quod idem simul Deus & homo sit.* Ex quo sic arguitur. Datur aliquid unum, quo uno, & à Patre & Spiritu S. & à Matre Christus discrepat; sed hoc non est nisi illud unitum: quicquid enim aliud assignaveris, illud non erit unum, quod faciat ab utroq; discrepare, sed non nisi ab uno, scil. vel à divino vel ab humano. Ibidem c. 5. *Unus enim Christus est, tum in divinitate, tum in humanitate perfectus;* Ergo apparet quod sit tertiū ex utroque pullulans. Cap. 4. *Etenim*

Christus (quæ vox complectitur utrumque) & *Deus & homo dicitur*: ubi ut vides, dicit Damascenus, quod vox *Christus* complectitur utrumque: Ergo non illa duo seorsim: Ergo est illud, quod ex duobus illis pullulat. Cap. 3. sic inter alia habet. *Ex Deitate & humanitate, eundem Deum perfectum, & hominem perfectum, & esse & dici, atq; ex duobus & in duabus naturis esse constitutum; Christi porro vocabulum personæ esse dicimus, ut quod non unimodè dicatur, sed duplicem naturam significet*: Ergo infero, si non ponatur pullulans totum hypostaticum, unimodè Christus dicitur, hoc est de singulis, non de illo toto. Et ibidem idem ait: *Si divinitatis rationem habeamus, ejusdem est cum Patre & Spiritu S. essentia; si autem humanitatem spectemus, ejusdem cum Matre & cunctis hominibus, quia autem ratione ipsius naturæ inter se copulantur, eum tum à Patre & Spiritu, tum à Matre & reliquis hominibus, differre dicimus*. Hoc autem, quid aliud ostendi potest, quam totum hypostaticum: Cyrillus ad Theodosium Imperatorem scribens, apud Damasc. lib. 4. Orthodoxæ Fidei c. 6. sic habet *VERBYM illud, quod ex Deo est, non aliter Christus esse intelligitur, quam cum, per administratoriam unionem, arcano modo conjunctum est*: jam autem conjunctum, necessario pullulat ex conjunctis. Anastasius etiam cap. 13. *ὁ δὲ ὅς* Totum, inquit, quod Christus appellatur.

Accedit autoritas Scholastica. Lugo cit. num. 25. sic habet. Poterit ergo ex hypostasi VERBI & humanitate, resultare humanitas subsistens. Tanner. cit. n. 59. sic habet: Terminus igitur Incarnationis principalis ex unitate proveniens, est ipsemet Christus rationemque dat, quia terminus ex actione Incarnationis, & unitate resultans, non est ipsa Persona VERBI per se spectata, hæc enim, ut sic, produci in tempore non potest: sed est Persona VERBI, ut existens in duabus naturis per incarnationem. Eandem sententiam docet Raynaudus lib. 2. num. 216. & 213.

PROBATUR 2. Quia ex anima & corpore evadit tertia natura, quod est compositum humanum: Ergo & ex natura humana & personalitate VERBI, evadet totum hypostaticum: dari enim non potest, per se, & immediata unio, inter naturam divinam & naturam humanam: & si esset, faceret unam tertiam naturam, per Ariaga: Ergo etiam, cum sit unio per se, & immediatè, inter naturam creatam & personam VERBI, evadet unum totum hypostaticum.

RESPONDEBIS cum Galatino apud Raynaudum. Naturale compositum aliud est à componentibus, secus compositum, quod est Christus.

CONTRA redit argumentum. Naturale compositum est aliud à componentibus: Ergo idem dicendum de Christo.

PROBATUR 3. Ex natura humana Christi,

& Persona VERBI, inter se unitis, per se, debet resultare unum quid tertium, ut dictum conclusionem 2dā. non resultat tertia natura, ut dictum conclusionem 1mā. non resultat persona composita, ut dictum supra: Ergo resultat totum hypostaticum.

OBJICITUR 1. Vi hujus tertiæ conclusionis, vera esset hæc propositio: Christus est divinitas & humanitas: & tamen hæc propositio est Wiclefi, apud Valdenses, damnaturq; in Husso, in Concilio Constantiensi Sess. 15.

RESPONDEO. Hanc propositionem hoc sensu esse damnatam; quia volebat, quod & sola divinitas sit Christus, & sola humanitas: adeoque, ut inquit Raynaudus, non sumebat ly Et copulatè, hoc est, tanquam uniens & copulans utrumq; ad verificandam significationem Christi: sed copulatè, unicuique scil. ly Christus adjungendo.

OBJICIT 2. Villiardus apud Raynaud. Vi hujus Conclusionis sequitur, quod Christus non sit Deus: cum nullum aggregatum sit una partium illarum, è quibus coalescit.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Imprimis enim, posito quod persona divina non sit pars in toto hypostatico, negabitur meritò, quod illius aggregati, pars sit, persona divina; si non est pars: bene de illa dici potest, ly Deus. Rursus, posito, quod Petrus sit totum, resultans ex natura humana & persona humana, bene de illo dici potest, Petrus est homo: & tamen homo, pro persona sumptus, est pars illius aggregati, quod est Petrus: Ergo & in præsentem idem dici potest. Directè etiam dici potest, totum aliquod ex duplicis conditionis extremis resultare posse: imprimis ex extremis, in quantum naturæ sunt: deinde ex extremis, in quantum aliud habet rationem personæ, adeoque totius in priori casu, unum extremorum non potest dici illud aggregatum, quia nec anima dicitur homo, falsaque redderetur propositio: potest autem dici in casu posteriori: quia cum illud totum componatur ex persona & natura, si de parte aggregati dicatur persona, erit adhuc identitas inter prædicatum & subiectum. Negat etiam Raynaudus, quod tunc ly Deus sumatur pro parte, sed pro Verbo, in humanitate & Deitate subsistente.

INSTAT idem. Sequitur ex hac positione, quod Christus non sit ens; quia nulla diversa, nisi se habeant informativè, aut continuativè, facient unum ens.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Datur tertius modus faciendi unum; scil. si sit unio personæ & personabilis.

OBJICITUR 3. Hoc quod resultat, per nos, ex illa compositione, est compositum; hoc compositum est totum hypostaticum; totum hypostaticum est Christus: Christus est persona: Ergo quod resultat, est persona composita.

RESPON-

RESPONDETUR. Ly Persona interdum sumitur præcisè, pro termino substantiali personante, interdum sumitur pro concreto ex personabili & personante. Sumendo Personam hoc secundo modo, est quid compositum; hoc ipso enim, si non esset quid compositum, non diceretur simul personabile & personans; hocq; significavit supra assertum 3^{ium} superioris difficultatis.

QUÆSTIO III.

De Incarnatione, prout dicit Subjectum ejusdem.

Sensus Quæstionis est, quid assumpsit VERBUM, & quid non assumpsit? De corpore & anima dubium non est; sed id, quod pro præfenti discuti debet, est solum: *An sanguis fuerit assumptus hypostaticè à VERBO?*

Plures sunt hac in parte sententiæ, quas recenset Sect. 1. & examinat Lugo, totà disp. 14. Sed tres sunt magis principales, & circa substantiam objecti versantes. 1. An fuerit unitus sanguis VERBO immediatè? & hoc negat Durandus. 2. Alii distinguunt duplicem sanguinem, nutrimentalem, & vitalem; hunc postremum dicunt esse assumptum, non priorem: In hac sententia est Cajetanus. 3. quæ absolutè asserti, totum sanguinem unitum esse hypostaticè; hanc docet citatus Lugo post Suar. disp. 15. Sect. 6. quibus accedit Amicus disp. 15. Sect. 7. Valent. disp. 1. q. 5. puncto 1.

DICENDUM est, *Totum sanguinem esse assumptum*. Probationes asserti ut expendantur, sit

DIFFICULTAS I.

Examinantur auctoritates, an sanguis fuerit assumptus?

PROBARI solet 1. posita conclusio, auctoritate.

1. AUCTORITAS est. Scripturæ, quæ frequenter redemptionem tribuit Sanguini. Plures auctoritates vide apud citatos. Clarus videtur ille locus 1. Joan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filii ejus, emundat nos, ab omni peccato*. His auctoritatibus.

RESPONDERI potest imprimis, quòd de immediata unionem nihil agatur. 2. quòd efficacia illa tribuatur sanguini, non quæ unito, sed quæ effuso à persona infinite digna; præcipue, quia ad hoc, ipsa unio cum sanguine non confert: nam Beatissima offerens Filium, offerebat aliquid, cui immediate erat unita persona divina, & quod erat Deus, & nihilominus illa oblatio non erat sufficiens ad redemptionem: non ergo taxari debet redemptio, ex eo, quia id, quod

est oblatum, habet unionem, vel non, cum VERBO; sed quia offertur à persona infinite digna, & æqualis dignitatis, cum eo cui satisficit.

2. AUCTORITAS est Concilii, Patrum, Pontificum. Clemens VI. in Extravaganti, *Vnigenitus*, de pœnitentiis & remissionibus, de sanguine Christi sic ait: *In ara crucis immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis sufficiebat, (sed velut quoddam profluvium non scitur effudisse*. Cyrillus in Apologetico: *Confitemur*, inquit, *quòd Deus est in carne & sanguine, & cætera similia*. His etiam auctoritatibus

RESPONDERI posset, quòd non probent, datam fuisse unionem immediatam, inter VERBUM & sanguinem, sed solum mediatam: quia scilicet assumpsit Christus naturam, cujus erat ille sanguis: ad eum modum, quo dicitur assumpsisse operationes humanas: non quòd eis hypostasis VERBI immediate uniatur: sed quia unitur naturæ humanæ, cujus sunt illæ operationes.

INSTAT 1. Lugo. Quia accidentia non possunt alio modo assumi, nisi mediate: atq; ideo, dum dicuntur simpliciter assumpta, intelligi debet, esse assumpta, eo modo, quo possunt: at verò quando substantia aliqua dicitur hypostaticè assumpta, debet intelligi de assumptione, cujus capax est natura substantialis.

RESPONDETUR. Cum substantia capax sit immediatæ & mediatæ assumptionis, & Patres non loquantur de immediata, ex auctoritatibus illorum non sequitur, quòd immediate sit unitum VERBUM sanguini; præcipue, quia sicut non multiplicanda entia, ita nec uniones strictiores.

INSTAT 2. Idem. Quòd si vera sit responsio, etiam cibus & vestis dicentur assumi; eò, quòd sint in illa natura, quæ assumitur: nemo autem concedet, VERBUM assumpsisse cibum, qui erat in stomacho.

RESPONDERI potest. Magnam esse disparitatem: nam quòd nec mediate assumptus fuerit cibus, qui erat in stomacho, inde deducitur: quia ea tantum mediate assumenda erant, quæ sunt pars ejus, quod assumitur, vel illi identificantur: non verò id, quod quocunq; modo est localiter in assumpta natura; alias aer, quem in se recipiebat Christus ad respirandum, debuisset etiam assumi.

INSTAT 3. Idem. Non potest dici, assumi hypostaticè ab alio id, quod retinet adhuc suam propriam subsistentiam: repugnat enim subsistens in se, subsistere in alio. Ergo si sanguis retinet propriam subsistentiam, per quam immediatè terminatur, non potest dici, quòd subsistat subsistentià VERBI. Accidentia enim dicuntur assumi, licet non uniatur illis immediatè

VER-